

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GANGRÆNA CONTAGIOSA;

QUÆ

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

GANGRÆNA CONTAGIOSA.

4

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
GANGRÆNA CONTAGIOSA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS LESLIE,
CHIRURGUS,
SCOTUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAOR.

Ad Diem 12 Septemb. horâ locoque solitis.

Satis itaque patet dispositionem ad multos morbos ex statu coeli et
aëris provenire; nec dubitandum est quin morborum causas excitantes
ubertim etiam fuggerat.

GREGOR: *De Morbis Coeli Mutatione Medendis.*

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1804.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

JACOBO HAMILTON,

NOSOCOMII REGII EDINENSIS MEDICO SENIORI,

NON MAGIS OB EGREGIAM IN ARTE SUA PERITIAM,

QUAM OB INGENII ET MORUM FACILITATEM

HUMANITATEMQUE INSIGNI;

PROPTER CONSILIA IN STUDIIS,

ET MONITA IN PRAXI MEDICA,

FIDA, SEMPER ET VERA,

SIBI AMICISSIME COMMUNICATA,

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

CONSECRATAS VULT

GULIELMUS LESLIE.

JOANNI WAUCHOPE, ARMIGERO,

SIGNETI REGII CLERICO,

NOSOCOMII REGII EDINENSIS UNI EX CURATORIBUS,

AMICO CERTO,

BENEVOLENTIA VERA, ET MORUM PROBITATE

CONSPICUO;

OB BENEFICIA PLURIMA IN SE COLLATA,

SUMMOPERE COLENDO,

HOC QUALECUNQUE OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM

GRATO ANIMO OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

GANGRÆNA CONTAGIOSA.

AUCTORE GULIELMO LESLIE.

PROEMIUM.

MULTI homines, quâcunque causâ, cum nimis angusto loco contineantur, et ibidem una spirare necesse sit, nisi et aër liberè accedat, et omne fœdum sedulò amoveatur, aër inclusus, ex quo pendet horum vita, spirando, per cutem exhalatione, denique excretis omnibus, impurus fit.

A

Hic aër ita depravatus, fanis etiam infestus, præcipue morbo laborantibus nocet.

Morbis hujusmodi perscrutandis, diu et jurè operam dederunt medici, ut, vel ne acciderent, præcaverent, vel generatis, obviam irent.

Morbo, de quo agitur, nomina variâ, ut postea dicemus, indita sunt; sed ut hæc ab aliis gangrænis eo optimè distinguitur, quod contagiosa fit, discriminis causâ, hanc Gangrænam Contagiosam appellavi.

Inter mala, five ex aere vitiato, five miasmatis contagiosis, oriunda, Gangræna contagiosa, attento animo dignissimum, facile duci potest, quippe quod effectibus æque perniciosum, ac simili origine ullum. De hac re autem, a nullis fere systematicis auctoribus, adhuc scriptum.

Vulnera, in nosocomiis, curatu difficillima esse, et haud raro in ulcera putrida indies

crescentia, degenerasse, sæpe observatum est; tamen nemo hanc ulcerum speciem ante celeberrimum * Pouteau designavit, cujus, in scriptis, mortui, editis, de hac re primum refertur, quem morbum, Gangrænam humidam appellavit. Postea Dufauſſois de eodem scripsit, et postremo Moreau †, et Burdin.

De ulceribus, gangræna Gallorum humidæ simillimis, et malignis, seu putridis appellatis, veluti cum in navibus compluribus, proximo bello, tum in Nosocomio Sanctæ Luciae in anno M,DCC,LXXXI visis, meminerunt Gillespie ||, Blane§, Trotter**. Ulcus a Rollo†† descriptum,

* Oeuvres Posthumes de Pouteau.

† Essai sur la Gangrene Humide des Hopitaux; par les C. C. Moreau et Burdin.

|| Observations on the Putrid Ulcer, by Mr Leonard Gillespie—Lond. Medical Journal.

§ Blane on the Diseases of Seamen.

** Trotter, Medicina Nautica.

†† A short Account of a morbid Poison acting on Sores, and of the Method of destroying it. ROLLO on Diabetes.

his supra dictis quoque simillimum est. Et Joannes Bell in Principiis Chirurgiæ nuper editis hunc morbum (cui nomen *Hospital Sore* dedit,) non omnino præteriit.

Ulceræ, ab his scriptoribus, relata, et signis plerisque et cunctis aliis rebus spectatis, ejusdem generis omnia rite habenda sunt.

HISTORIA.

Hic morbus, nosocomia, et ubicunque vulnera multa vel ulcera simul curantur, maxime infestat, et quanquam in nosocomiis, et navibus, in quibus ut et aer esset purus, et illuvies omnis abesset, summa diligentia curatum fuit; is interdum visus sit, tamen quo impurior aer, et quo fœdiores ægri, eo frequentior, et eo perniciosior morbus. Vere, et autumno, quam aliis temporibus gravior dictus est. Vulnera etiam recentia et ad sanationem fere perducta, huic gangræ-

næ obnoxia sunt, ulcera autem maxime. Extrema inferiora a corde maxime remota, injuriisque maxime oblata, sæpissime ulceribus, ideoque gangræna contagiosa afficiuntur. Vulnera aperta, et quæ aut exustione, aut fervente liquore, aut contusione facta sunt, aliis, magis obijciuntur, et vulnus, calvario in nosocomiis perforato, sæpius hoc ulcere affici creditur. Ubi hæc pestis sævissimè grassatur, quam levissimè, sive sectione venæ, sive vesicatorio, sive ullo alio modo fauciati, minime contagionis sunt immunes, et quod notatu dignum est, carcinomata nonnunquam gangrænam in hanc convertuntur.

Plerumque accessio febrilis, vulnus ulcusve mutatum antevenit, et rigore, quem excipet calor, viribus multum imminutis, anorexia, nausea, nonnunquam vomitu, lingua arida et fordida, sese manifestat; pulsus autem frequens est, et cum sit validus et durus, cito tamen futurus, et sæpius vero ab initio debilis. Febris, morbum, toto cursu, comitatur, cui aliquando deli-

rium accedit. Paulo post febris accessum, vulnus vel ulcus admodum mutatur, superficies ejus albida fit, humor minus copiose emittitur, oræ ejus intumescunt et inflammantur, et extrorsum vertuntur et pallescunt, cum dolore vehementi et colore rubicundo et partes inflammatione occupatæ in gangrænam celeriter transeuntes, in sphacelum ruunt, citius vel tardius separandum, prout morbus longus, vel sphacelus profundus aut late diffusus fuerit, fanies tenuis malo odore effluit, et adeo acris ut cutem vicinam erodit. Partibus sphacelo obsessis rejectis, ulcus infra purum est, et sanæ granulationes oriuntur, aliàs autem perrubrum et nitens videtur, et signa supra memorata redintegrantur, colore rubicundo, in partes, obrepente, vicinas, quæ cito in gangrænam abeunt, dolore pungente, dum inflammatio urgeat. Interdum etiam cum granulationes sanæ jam apparuerint, et ulcus ad sanationem spectaret, labecula vel pustula subnigra ad oram ejus extat, exinde orta gangræna et sphacelus, partes vicinas, febre renovata, sine mora

corrumpunt. Ulcus latius se irregulariter extendit, hinc irregularis forma, et oræ dentatæ. Non solum telam cellulofam, sed musculos etiam et tendina delet, et ossibus nudatis, caries non raro supervenit.

Aliàs a febre non incipit, vulnus enim vel ulcus labeculis subalbidis quæ cancrum venereum, vel a variola insita ulcusculum referunt, primo afficitur; cito hæ labeculæ diffunduntur, nunc acceduntur febris, inflammatio, gangræna, sphacelus.

Aliàs, mitiore morbo, nunc ulcus tegit humor, spissus, tenax, striis nigris, vel fulvis admistis vix detergendus; hic quoque febris supervenit, et ulcus aliquamdiu latius sese extendens, paulatim sine gangræna sphaceloque, sanescit; hæc morbi species etsi minus violens, sæpe tamen diuturnior est.

Aliàs, causis, quæ maxime excitant, expositi, adeo hunc in morbum, proclives fiunt, ut corpore quidem integro, macula rubra vix sentienda celeriter in papulam crescere videatur, quæ papula, in medio nigra, in oris rubra, signis hujus morbi cunctis præsentibus, valde intumescit in ulcus et sphacelum cum sanie foetida abitura.

Glandulæ, ad quas adeunt lymphatica ex ulcere orienta, frequenter et intumescunt, et dolent, ceterum raro suppurantur; sed si hoc factum fuerit, semper ulcus prius referunt. Hic morbus non certo die finitur, et stabilitus, remediis interrumpi nescit.

Hæc sunt præcipua, a diversis auctoribus de hoc morbo scripta; sed ii, quoque, violentiam ejus, et durationem, natura ægrotantis rebusque externis regi, dicunt. In robustis, ac sanguine repletis, febris principio fere inflammationis est, quam tamen debilitas summa cito excipit; in

debilitatis autem, febris a principio ad finem usque typhoides. In illis, inflammatio, gangræna, sphacelus rapidiores sunt; in his autem tardiores. Alteri, aut sanguine vulneribus effuso, aut morbo longo, aut suppuratione copiosa, aut hujus morbi ipsius violentia, exhausti, febre hectica cum diarrhæa moriuntur; alteri, sanguine, vasis erosio, effuso. Gangrænâ contagiosâ peracta, partes plerumque facilè sanantur.

Quoddam memorabile a Dufauſſois fertur, hunc morbum, ulcera mali moris, occupantem, actionem eorum propriam mutare, et ita ad salutem perducere, hoc consilio, se, ulceribus malis, gangrænæ hujus materiam, inferuisse, quod mirum in modum, mihi confirmari in nosocomio nostro nuper visum est; cujusdam hominis, tunicam adnatam partim, palpebram inferiorem totam et tegumentorum alterius nasi lateris maximam partem, carcinomate affectam, ferro excindere chirurgis in animo fuit, quo tempore gangræna contagiosa superveniens, partes ad os

fa exedit, et ita fecit, quod fieri chirurgi voluerant; hic sphacelo deposito granulationes sanæ innasce, ulcus minui, cutis brevi obduci cæperunt; carcinoma vero signis omnibus infauftis rediit;—Maculâ parvulâ non deletâ hoc accidere verisimile est.

DE CAUSIS.

Causæ hujus, sicut aliorum morborum, in eas, quæ corpora morbo oppertuniora reddunt, et quæ morbum ipsum concitant, sese sponte dividunt.

Corpora utcunque infirmata huic morbo opportuniora sunt; homines autem qui diù in regionibus calidis degerunt, et qui multum liquoribus fortioribus et falsamentis usi sunt, obnoxiores esse observatio confirmat: eodem ut creditur pertinet hydrargyrus longius usurpatus et sæpe iteratus.

Causæ quæ morbum concitant, sunt et Aer contaminatus, et Miasmata Contagiosa.

Aër Nosocomiorum, vel locorum in quibus ægri plurimi sunt, nisi in res, quas antea diximus, curantes admodum attenti sint, fit vitiosus, pene quidem venenatus, non tantum quia aër bonus deficiat, sed quia corporibus effluentia, quæ nocent, perquam abundant. Quisque, qui etiam valetudine bonâ fruitur, dum spirat, et dum quoddam e corpore emittitur, aëris aliquantulum communis, ad vitam sustinendam, minus aptum reddit, et plerumque aër ille pravus, bono suppeditato, nihil nobis nocet. In locis autem, ubi ægros tractant chirurgi, non solum insunt ea, quæ corpora sana edunt, sed ea quoque insigniter noxia, morbis putridis, ut ulceribus malis, membris gangræna, et ossibus carie affectis laborantium oriunda, quæ omnia necessario aëris corrupti malignitatem augent.

Aër exhalatione corporum solitâ infectus; Typhum, et Dyfenteriam, aër autem non hâc solâ, sed vulnerum, ulcerumque quoque exhalationibus, Gangrænam Contagiosam concitat.

Ut plurimi alii morbi, sic Gangræna hæc per contagium propagatur; aliter tamen quidam putant.

Omnia morbidè secreta, partibus, aliorum animalium ejusdem generis, similibus admota, ejusdem actionis inducendæ facultate, prædita esse videntur; sed ut ulla materies contagiosa efficax sit, quoniam non contagio ulla unquam omnibus sine discrimine nocuerit, pluribus junctis, ut habitu, consuetudine, cœlo, multifque aliis, opus est.

Multa bene comperta Gangrænam hanc esse contagiosam ostendunt.

In locis ubi vulnera, ulceraque curantur, simul ac hæc pestis orta, uno vel homine affecto, ex illo, veluti ex centro, diffunditur, primo quemque proximum, deinde alios prout loco distant, aggrediens.

Quorum manus quam minimè five punctæ, five laceratæ sint, si vulnera hujusmodi eorumve panniculos attigerint, semper ii in eandem gangrænam incidunt.

Vulnera purissima deterfa spongiâ quâ usus erat gangrænam hanc curans, extemplo eâdem affici cognitum est.

Pouteau plurima exempla protulit, ex quibus haud dubium est, quin lintea quæ ex Nosocomio Hotel Dieu appellato, dum pestis hæc ibi vigeret, exportaverant quidam chirurgi, quosdam urbanos, qui multum a Nosocomio hoc aberant, omnibus aliis causis hujus morbi propriis absentibus, infecissent; præterea de homine quodam

hoc morbo affecto, qui ad idem Nosocomium vulnusculi manûs ergo curandi, quotidie advenerat mentionem facit.

Dufauſſois materiam hujus Gangrænæ, tentandi causâ, ad mammam schirro affectam tranſtulit, in quâ quod non ſilentio prætereundum eſt, materiam ſcilicet mammæ admotam hæc Gangræna non ſecuta eſt, ſed partibus ad ſuffuſionem ſanguinis uſque forcipe compreſſis, ſtatim ea ſupervenit.

Hæc omnia Gangrænam hanc contagioſam eſſe demonſtrant, et contagium ejus, tribus modis propagari poſſe.

1mo, Materia hujus gangrænæ vulneribus et ulceribus recte admota.

2do, Per Aëra.

3tio, Linteis et vestimentis quæ ægrum contingant.

Odor ulcerum horum foetidus, atque proprius, aëra quodam noxio abundare fatis indicat, et quomodo hoc aliis noceat, facilè mente concipi potest. Ex observatione tamen constat, æque hoc, ac alia miasmata contagiosa aëre communi admisto, quo longius a fonte procedat, eo minus noxium fieri.

Secundum J. Bell in Nosocomio Yarmouth anglicè nominato ubi Nautæ Britannici, et Batavi, pariete medio tantummodo separati erant, cujus ex alterâ parte, omnes incisiones prosperè cesserunt; ex alterâ autem pessimè sævam ob hanc pestem.

In navi longâ, (cui nomen Triumph,) complures ulceribus, et pedibus aquâ fervidâ perfusâ ægri hoc malo caruerunt, cum separati essent ab iis, qui Gangrænâ hâc laborabant quamvis cætera

omnia eodem modo curati essent, ac illi qui hunc morbum patiebantur.

Quo tempore, post venenum admotum, Gangræna hæc se manifestet, parum comperi; attamen in Nosocomio Edinenfi * intra tres dies extitisse credo.

DE NATURA MORBI.

De hoc morbo aliis aliæ opiniones sunt.

Pouteau contendit, morbum hunc esse contagiosum, et feбри Nervosæ Huxhami quod ad causas attinet persimilem, qui, toto corpore planè affecto, nullo artificio dirimi possit, et citius aut tardius, secundum ægri naturam, terminetur, plerumque autem septimo, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vel vicesimo primo die, post ipsius accessum.

* J. Thomson in Prælectionibus Chirurgicis.

Moreau et Burdin, a vi vitali deficiente, et irritabilitate in partibus ulceratis perditâ, morbum pendere putant. Talia dicta tamen semper incerta pro nihilo in scientia habenda sunt, nam vis vitalis et natura, et leges adhuc tam parum innotuerunt, ut, quæ in talibus morbis fiunt, explicare possint.

Trotter homines validissimos aggressum esse hunc morbum, et eisdem aliis obnoxiores etiam esse visos, iterum atque iterum notando, ut suis verbis utar, dicit, “ That a high degree of
 “ health and strength, fresh bloom of counte-
 “ nance, plumpness and firmness of muscle
 “ without obesity, florid blood with arterial
 “ fulness, render the body susceptible of this
 “ disease, or is even fully adequate to account
 “ for the whole.” Verum enim vero summam salutem, cuilibet, præsertim huic morbo, corpus opportunum reddere, haud facile creditur. Signa Ulceris propria, et febris ipsa generalis, ita

credere prohibent; Neque quia interdum homines validissimos aggrediatur, sequitur, aut morbum ipsum ex summa salute oriri, aut hâc præditos aliis esse ei obnoxiores. Benè notum est, Typhum validissimos sæpe invadere, et vel ab initio summæ debilitatis postea fortasse putredinis signa ostendere. Sed quædam ab illo observata, et causæ, quæ ut ille putat huic morbo corpus opportunum reddunt, vel morbum ipsum generant, opinionibus ejus adversantur. Putat enim, hunc morbum, homines ex regionibus calidissimis reduces, et diutius aut liquoribus ardentibus, aut fœcamentis usos præ aliis adoriri. Quin hæ causæ, huic morbo ad corpora opportuna reddenda sufficiant, dubitari non potest: sed talem corporis habitum in summâ salute, et vigore summo consistere, profectò affirmare non licet.

ROLLO Ulcus quod ipse designat a Gangrænâ hâc diversum, et venenum ejus, summo ulceris vel margine ortum esse, ducit. Signis autem ab

illo descriptis attentè consideratis, nullâ re alicujus momenti a morbo quem tractamus differre videtur.

Quicumque et causas et progressus, quâ decuit curâ perpenderit, illi necessariò, Gangrænam Contagiosam Typho valdè affinem esse, credendum. Utrique, aër contaminatus, et quæ in animalium corporibus generantur, rebus quibusdam paululum diversis, originem dant; Uterque contagiosus; utrique vere inchoato, curantibus invitis, curriculum certum, et postea ultro finis; utrique febris eadem, eadem a principio putredo.

Gangrænam Contagiosam totius corporis esse morbum, Typhoque affinem puto, qui oritur ab omnis excretis animalibus corruptis, præsertim ab iis quæ ex vulneribus et ulceribus proveniunt, denique ab aëre, non solum his sed omni aliâ illuvie, et respiratione ipsâ, impuro reddito; et

quomodocunque in progressu ejus, ulcerum species variant, has mutationes ex affectione generali pendere facile crediderem. Ita concludere licet, quoniam febris generalis plerumque mutationem ulceris ullam antecedit, et hæc febris Typhum referat, et quoniam in quibusdam, qui nulla vulnera habebant, per papulas minimas exorta fit, quas insecta sunt, febris generalis, et affectionis localis, omnia signa propria.

Aliquis fortassè dicat, febrem generalem ex ulcere ipso provenire, quoniam febris, ulcus gangrænâ hæc affectum secuta fit, si autem hoc acciderit unquam, veneno gangrænæ, parti rectè admoto tribuatur oportet, quo facto, eadem est, ac quædam contagiones propriæ, quæ corpus universum perturbant, ut Variolâ infitâ, pars puncta ante inflammatione afficitur quam febris generalis incipiat.

DE CURATIONE.

Quod hunc morbum initio prorsus tollat etiam nunc multum desideratur. Hic tamen, quæ aut progredientem impedierit, aut quæ ejus dolores mitigarit, tantum dicemus.

Ratio medendi duas in partes dividi potest. Altera pars ea remedia complectitur interna et generalia, quæ in universum habitum agunt, et ulceri tantum profunt quantum labem aliquam totum corpus infestantem summovent: Altera pars complectitur externa et localia quæ ulceri adhibentur ipsi, idque solum afficiunt.

Si rectè de hujus Gangrænæ naturâ judicavimus, remedia prioris generis ad hunc morbum summovendum fore utilissima sperandum est. Remedia hujusmodi, sunt ea, qua vel morbo in-

cienti occurrant, vel si hoc fieri nequeat, quæ ægrotanti sustinendo, doloribus mitigandis, signisve gravioribus levandis, idonea sint.

Vomitus, quod experientia in ipsis curationibus docuit, hunc morbum incipientem nonnunquam tollit, eodem forsitan modo, quo, Typho incipienti occurrit, agitato nimirum universo corpore, et actione morbosâ mutatâ. Vomitus alio modo quoque plurimum prodest, fordes scilicet e ventriculo ejiciendo, quæ semper irritant, morbo corpus opportunum reddunt, et morbi vim augent. Quum hoc nequicquam usi simus, ut violentia morbi imminuatur, et viribus ægri subveniatur, summâ ope niti decet. Hoc consilio, causæ morbi quam diligentissimè summovendæ sunt; his enim neglectis frustra adhibentur remedia. Quotiescunque igitur fieri potest, æger ab aliis remotus aëre quam purissimo ac frigidulo fruatur, quod non ipsius solum, sed aliorum plurimum interest, cum ità, ne latius

diffundatur contagio, præcaveatur. Si autem non fieri possit, ne quid ægris illuviei noceat, et ut aër admittatur purus, stragula omnia sæpius mutantur, quippe quæ, multis poris, exhalata omnia pertinaciter retinent, lintea, et panniculi citò auferantur postremo ne fæces vel fordida alia cumulentur, summæ sit curæ; interea suffitus fiant vaporibus acidorum et Nitrici et Muratici, quæ, ut jam experimentis constat, miasmatis noxiis efficaciter obviam eunt. In curatione morbi incipientis, signis inflammationis eo tempore interdum violentis, quæ inflammationem minuunt ab omnibus ferè adhibita sunt. Hoc consilio, missione sanguinis cum locali tum generali usus est Trotter, cui ità, inflammationem mitigare, et sphacelum anteyenire, nonnunquam contigit. In sanguinem mittendo tamen, memoriâ semper tenendum est, hunc morbum, ut omnes alios, exhalatis pūtridis vel contagione, oriundos, utcunque se habet æger, quo tempore, morbus primum invadit, citiùs vel tar-

diùs Typhi naturam assumere. Igitur, etsi initio signa inflammationis sint, sanguinem mittere rarò oportebit; quod esse verum a Pouteau confirmatur, qui, missionem sanguinis, nihil nisi sanguine repletis prodesse, et iteratam his quoque debilitatem augere, testatur; Quod si initio signa inflammationis violenta sint, alvus soluta proderit, cùm corporis incitatione minutâ tùm intestinis evacuatis; et Dufaussois se Supertartrite Potassæ multo cum bono, in hoc morbo usum esse dicit. Interea cibo omni fortiore abstineat æger, stimulosque omnes cautè vitet. Inflammatio debilitati citò cessura, ne dejectionibus crebriùs utamur, admonet; contra periclitanti atque debilitato, et victum generosum ac medicamina quæ corroborant, præbere oportet. Cinchona in aliis gangrænis tam utilis, in hâc ferè nihil valet. Pouteau eandem, variis modis multos annos frustra dedit; idem quoque testatur Dufaussois,—Pouteau Camphoram maximè laudat, cujus multum et frequenter præcepit,

Acida multum profuisse dicuntur. Remedia autem quibus præcipue fidendum est, Opium et Vinum sunt. Quamprimum igitur signa debilitatis se manifestarint, Vinum quò debilior æger, eò largius dandum est, Opium quoque, quod morbo incipienti fortasse noceat, nunc certè et ad somnum inducendum, et cruciatus sublevandos utilissimum est.

Altera rationis pars, in externis atque localibus, quæ ulceribus adhibentur ipsis, consistit. Quorum aliis alii medici usi sunt.

Nonnulli Chirurghi, ut partes Gangrænâ affectæ candenti ferramento penitus inurantur, suadent. Pouteau, qui hunc morbum, ex contagio, ulceribus ipsis, rectè admoto, sæpissimè provenire putavit, partes affectas ferro candenti, vel oleo fervido delevit. Non tamen hoc remedio morbum eo superari credidit, quod partes omninò deletæ essent, sed quod ità actio nova,

et Gangrænæ adversa, concitaretur. Quin et dolores leniendi et sphaceli minuendi causâ, eâdem usus est unctione, et Ulceris etiam oras vicinasque partes fulvas ad gangrænam spectantes inuri jussit. Sed tam horrendum remedium utcunque laudatum, fortassè et interdum utile, pauci tolerabunt. Dufauſſois Pulverem Cinchonæ Oleo Terebinthinæ interdum etiam Muriate Ammoniaë addito, quæ crustam efficeret, et aëra externum præcluderet, ulceri adhibuit; quam crustam plerumque octavo vel nono die, partibus puris relictis, decidere dixit. Quæ sive ex aqua sive oleo aut emolliunt, aut relaxant, aut calefaciant, plurimum obesse; cataplasma ex farina Tritici cerevisiique spumâ cum melle, plurimum prodesse compertum est. Acida vegetabilia, ut Acetum, Tileæ fructûs, succus, et portiones ejus tenues, Murias Ammoniaë in aceto solutus, Alkohol Dilutum, et Tincturæ multæ ex hoc factæ, Lintea aquâ gelidâ madefacta, Plumbique Acetis, omnia a variis

medicis adhibita sunt. Omnium tamen remedium localium, atque externorum, quæ stimulant maxime æstimantur, quorum præcipua sunt; Oxidum Hydrargyri Rubrum non omninò acido privatum, Acidum Muriaticum, et haud rarò Nitricum. In Nosocomio Edinenfi Unguento Refinoso Oleo Terebinthinæ commisso plerumque utuntur Chirurgi, quod remedium, ut et pus pravum in bonum mutetur et ut partes sphacelo corruptæ decidant, haud dubiè efficit.

F I N I S.



EX TYPOGRAPHICO ACADEMICO.

